

A. D. N.

ΜΕΛΕΤΗΜΑ PHILOSOPHICUM

De

DELECTU
LITERARUM,

Consistente

Ampliss. Facultate Philosophica Aboensi,

&

MODERANTE

VIRO CELEBERRIMO;

Dn. ISR. J. Nesselius

Gr. & Or. LL. P. P.

PRO GRADU

Candidæ Bonorum censura submittit

JOHANNES WANÆUS;

Ad diem 22. Februarii Anni 1707. loco

horisq; consuetis.
G.S.

A B O Æ,

Excudebat HENR. C. MERCKELL;

Reg. Typogr.

METHUENIA PHILosophica

De

DELLECTU
LITTERARUM.

Constantino

Ampliss. Facultate Philosophica Abbona

et

MODERANTE

VIRO CELEBRISSIMO,

Dr. J. N. N.

C. & O. L. P. P.

PRO GRADU

Compendio de oratione et de rebus administratis

JOHANNES WANNIUS

Ab die 22 Februarii Anno 1707. loco


habeat contenta



A B O A

Exemplum HENR. C. MERKELI

Reg. Typog.



§. I.



Quoniam in summa omnium plane animæ & corporis facultatum perfectione creatus primus homo erat, talibus omnino disciplinis, quales imperfecti-
onis humanæ sunt remedia, quarumq; apparatus totus non est nisi reparatio cladis imperfecta, nequaquam indiguit. Quæ quando post subjectam maledictis Divinis terram, post corruptam peccato, at variantem postea quibuscunq; ex causis, gradatim mortalium temperiem, in regionibus variis, diversisque ætati-
bus inventæ sunt, ad illas rite, addiscen-
das peculiarium temperamentorum ac ingeniorum, quæ illarum indoli opti-
mè conveniant, ratio habenda videtur; si modo omnis ævi sapientes, naturam

plus arte exercitioque valere, vere dixerint. Adeoque heic interserere verbis Waltoni, de linguæ multiplicatione in bonum versa, par aut simile, fas fuerit, videlicet, quod primo vindictæ divinæ signum erat, postea exortis societatibus, magnum divini fuisse amoris indicium, cum natura suum cuique genium, quo commodius in hac quam illa statione fiat reipublicæ membrum, abunde largita fuerit.

§. 2.

Quare cum Deus *ἐπιταξίας* auctor atque amator desideret, ut residua, vel ut Cicero loquitur, innata animis nostris virtutum semina convenienti modo excolantur: rerumque diversitas in societate flagitet, ut singulis artibus ediscendis pares eligantur homines, sequitur sub ipsis literarum auspiciis, quo feliciter procedant, non minorem esse habendam ingeniorum rationem. Nam sicut agricola parum investigata soli natura, spe sua læpius excidit, cum terra alias haud sterilis, seminis sibi concre-

diti

diti tanquam maligna nutrix, vim atterit extinguitque gignendi; ita labores studiorum causa susceptos, non satis examinata discentium capacitate, inanes ac irritos fieri, haud raro compertum.

§. 3.

Observarunt hoc veterum Philosophorum nonnulli diligenter, statimque exploratis discipulorum ingeniis, ea, quorum docilitatem deprehenderent, certis studiorum generibus quasi enutriverunt. Unde omni tempore, quotquot parentum, visâ puerorum inclinatione, quæ in tenera ætate, suffragante Barclaio, emendationi maximè cedit, convenientia ipsis negotia prospexerint, aut giscentem forte naturæ pravitatem pro virili correxerint, de publica re optimè meruisse censentur. Vel saltem, ut Cicero & Plutarchus moment, postquam juniores ipsi tantum de singulis delibarent scientiis, ut quænam sua cum indole jam honestate imbuta,

buta, optimè congruat, senserint, illi
constanter adhærere debent.

§. 4.

Jam quia homini ex quatuor illis vulgo
notis elementis orto, ac proinde
μικροσμω dicto, quatuor etiam prin-
cipum qualitatum, caloris, humidi, fri-
goris sicque mixturam, & cujusque
prædominium; unde bilis, sanguis, pi-
tuita & Melancholia ortum traxerint,
veteres attribuerunt. Quod ante na-
tam Philosophiam, Hippocratem ob-
servasse, Galenus, Avicennas & Ferne-
lius ajunt. Ideo quoque ex calidi & humi-
di, calidi & siccæ, humidi & frigidi, fri-
gidi & siccæ temperatura, præcipuâ com-
plexionum in homine diversitatem eli-
ciebant. Quippe in ipsis etiam elemen-
tis alias qualitates combinari non posse
docet Sennertus. Quamvis hæc aliter
recentiores medici explicare cernantur.
Teste L:F. Dingheus, Fund: Med: l: 2: c.
1. Verum illi sanitatem corporum, ego
ingeniorum proclivitatem respicio, de
subtilitate modove explicandi parum
soli.

solicitus, cum ex elementis sive ut Neoterics placet elementatis, temperamenta, ex temperamentis constitutionem corporum derivari & inter veteres & recentiores conveniat.

§. 5.

Ex hac igitur virium, quæ primis qualitatibus insunt, comparatione, non pondere aut mensura, quadruplex corporum (nullo adhuc habito docilitatis respectu) resultat temperies, quam mediam temperatamque naturam Galenus, reliquarum canonem statuit; Melancholica, Cholericæ, langvineæ, Pituitosa. Quam doctrinam, licet tenebris obvolutam dicat Waldschmidius, Cartesium secutus; Ego illis, quæ sano sensu & ratione a Veteribus observata sunt acquiescens, heic loco fundamenti substerno.

§. 6.

Ut autem reliquas temperamentorum, respectu regionum, ætatum, temporum, sexuum, consuetudinum, differentias medicis aliisque relinquant; hac
natu-

naturali temperationis compositæ in homine bene perspecta indole, graduumque, qui qualitatibus ejus insunt, observato discrimine, conjecturum quemque facilius arbitror, quænam sui quoque ipsius sit propensio ingenii, ad varias eligendas scientias, quarum progressus naturæ magis, quam operæ tandem ferat acceptos. Quocirca observandum est, nec medicis familiarem illam temperamenti in relate simplex atque compositum, distinctionem à nobis attendi; nec jure de absolute simplici, an detur in rerum natura, nec ne, disputari; cum nullum jam amplius tam simplex existat, quin causas interitus in se contineat: nec ullum adeo compositum, quin ad simplex illud Galeni, unum propius altero accedat. Unde raro licet homines in tantum temperatæ indolis reperire est, ut quam plurimis disciplinis addiscendis sufficiant.

§. 7.

Ego in præsentia omissis, quæ temperamenta discernunt, signis, statim ad
Melan-

Melancholicorum, qui frigidi sicci que
 sunt, indolem uno intuitu conspicien-
 dam, & illinc videndum, ad quas illa
 artes inclinēt, accingam. Atqui hic ve-
 reor, ne si rem mihi propositam, quam
 nec præterire possum, explicuero, vi-
 deor simul aut toties coctam reponere
 crambem, aut ansam præbere recoquen-
 dæ litis quæ hætenus vix unquam sopi-
 ta fuit, quin aliqua remanserit difficul-
 tas. Paciscar igitur cum B. L. ut hac de
 re verissima quævis (sepositis erroribus
 partiumque litibus) quæ ex omnis ve-
 rioris Philosophiæ adytis erui possint,
 quæque Spiritus Sancti assertionibus ma-
 xime consona sint, decerpere liceat.
 Primū constat, quod anima hominis sit
 tota in toto corpore, & tota in qualibet
 ejus parte, sed propter structuram par-
 tium corporis diversa ratione, nimi-
 rum vel intelligendo in his, vel ima-
 ginando in illis præ aliis, vel sentiendo in
 omnibus, magis vel minus. Unde in
 singulis eam corporis membris inter se
 diversis, pro textura partium eorundem

agere certum est. Quo posito si contemplationem rerum naturalium præcise respexeris, animæ hoc non negabis, quin earundem rerum imagines sive ideas in cerebro percipiat; à sanioribus tamen nequaquam excluso corde, cum aliis partibus; ubi moralitatis aliqua consideratio, quæ sine intellectus & voluntatis vel affectuum ad actiones concursu, concipi nequit, incidit. Quin & alias in corde revera intimo totius compositi, ceu centro, ubi nulla organa propriè dicta sensoria reperiuntur, magis immediate præcipuas peragit anima operationes. Rom. 2: 15. Gen. 8: 21. Matth. 15: 19.

§. 8.

Jam ut ad propositum redeam, contemplandi, qualis cujusq; temperamentum sanguis in cerebro, talem vel in corde maxime, ac denique arteriis, venis & vasis sanguiferis totius corporis esse, ac eatenus uni corporis parti magis quam alteri determinatio temperamen-

ti non competat. Verum quia organa sensus interni, in cerebro conspiciuntur, illud proinde per constitutionem filamentorum tenuium, præcipuè vero sanguinis & spirituum, prout fuerit vel siccum magis, vel humidum, vel calidum vel frigidum, imaginativam species impressas recipere & exserere diversimodè aptam esse, atque ita cerebrum frigidum, ac majori gradu siccum, particulis acidis in sanguine prævalentibus, ideas magis fixas & constantes subtilioresque habere. Illinc est, quod Aristoteles Probl. Sect. 30. qu. 1. Melancholicos in quibus atra bilis temperata dominatur, velat quoddam sapientiæ domicilium collaudat. Quorum ulteriori descriptione secundum gradus à statu sano aberrantes ad medicos transmissa, de proclivitate Melancholici ingenii paucis agendum.

§. 9.

Ac primum adhuc præmonendum habeo, licet nemo inficiari possit, alias

studii Theologici partes memoria magis, alias iudicio niti; deque iis, ut rite addiscantur, humanam etiam sollicitudinem, studium & operam junctis præcibus, accedere debere, me tamen heic ἐπέχειν cosultius ducere, quam in scyllam vel charybdin forte impingere. Quamvis igitur à me in tanta temporis chartæque angustia expectari non possit, ut alias quoque singulas recenseam disciplinas, quæ huic vel illi temperamento videntur accommodatiores; præsertim cum nonnullæ pluribus, nonnullæ paucioribus animæ facultatibus, (cæteris non penitus exclusis) expediuntur præcipuè; adeoque Mathematica heic exactitudo prorsus exulet, paucas, ex quibus reliquæ dijudicentur, ut mea fert opinio nemini obtrudenda, attingam. Videntur autem intellectu, vel si mavis iudicio, quod gignit Melancholia, in statu sano certoque gradu, potissimum fulciri, quæ rerum magis minusve abstractarum penetralia scrutantur & discursum requirunt, Dialecti-
lecti-

lectica & Metaphysica : tum Jurisprudentiæ praxis, quæ in agendis vel dirimendis forensibus causis consistit : Dein illa Medicinæ Theoreticæ pars, quæ universalioribus & dogmaticis absolvitur observationibus, denique Philosophia naturalis atque moralis, in quibus rite pertractandis, vim memoriæ, intellectui cedere, cuilibet æqualance rem perpendenti facile patet.

§. 10.

Contra in pituitosis, ubi ut observat Desid : Jacotius com: in Hippocratem humor & frigus prævalent quæ secundum Galenum & Avicennam, Spiritum stupefaciunt, & luxuriante humido, salia activa depressa jacere, sanguinem minus fermentescibilem esse, addunt neoterici, quæ huc non adeo pertinent. Unde pituita facultatem judicii in siccitate sitam, teste Wirdigio sufflaminat. Hoc itaque temperamento præpediti Phlegmatici, sublimiores scientias haud facile capiunt, multo minus in

iis excellunt. Attamen, quia humiditate cerebri fovetur memoria, ab illis artibus ac disciplinis quæ memoriæ facultate nituntur, non planè videntur arcendi, si informatio ac debita diligentia accesserint, quarum ope τὴν τῆς φύσεως ἐλάττωσιν ut ait Plutarchus εἰς τὸνδεχόμενον ἀναδραμεῖν queant.

§. II.

Nisi à sanguineorum cum Phlegmaticis per copiã humoris, vicinia, vel vario gradu, non alia mihi occurrit causa, cur sanguinem simplicitatis stupiditatisque auctorem dicat Galenus, cum eundem Hippocrates plurimam prudentiæ partem homini conferre fateatur, optimique esse temperamenti alias Galenus affirmet, Reddunt rationem recentiores, quod partes sanguinis, lacte jam turgidi, in corde promte rarefiant, & gummosæ ad nutritionem aptæ, prædominentur. Quicquid sit, ob calorem certe, qui vim imaginativam excitat, cum nec sanguineis desit humo-
ris

ris fœtus memoria, non modo ad conversationem vitæ jucundam, gestusque decoros, sed & ad peculiare res variasque addiscendas, prout calor humorve diversimode temperati fuerint, idoneos esse, putandum est. Unde in vastissimo Linguarum Historiarumque oceano, quando illæ humorem, hæ calorem temperatū postulare videntur; tum in legibus addiscendis docendisve; ac parte Medicinæ Anatomica Botanicaque, & aliis, quæ sinè præstanti memoria vix feliciter excoluntur, artibus atque scientiis, mirificas facere videntur progressus.

§. 12.

Sanguinei quidem quantum ad præstantiam temperamenti vel mutationem: & Cholericis respectu qualitatatum, primum merentur locum; at nobis tamen heic post leviter deprehensam reliquorum indolem, melius intelligendi occurrant. Et cum Medici, quos vidi, consentiant, Choleram, quando
 par-

particulae sulphureae, inflammabiles & agibiles in corpore praedominantur, ut loquitur Waldschmidius, magnum excitare calorem, qui per se attenuat & rarefacit, ut Jacotius in Hipp. dicit; nec imaginativam proprie dictam, & species impressas sinit quiescere. Unde Cholericus ex praevalente dominio sicci calidive vel judicio vel vi imaginativa quoque praevaleat, & imprimis in literarum humaniorum studiis, ubi multa inventio requiritur, felicissimi sunt. Horum proinde ingenii aciem temperatam Philologia, tot tamque abstrusis conjecturarum latebris sentibusque obsepta exposcit; nisi quis diffusiores ejus partes, quae memoriam imprimis exigit ad sanguineos amandare maluerit. Imaginativam vim desiderant, Medicinae pars therapeutica cum suis requisitis, & Mechanicae artes, quaeque aliae proportionibus variis fundantur. Tandem eloquentia quae numerum quoque orationis flagitat, Cholericus praestant, nam praevaleat

præterquam quod in affectibus sciendis præcipuam doceat Woffius firam esse oratoris virtutem, eloquentiam nasci dicit Huartus ex conjunctione memoriæ cum imaginativa, in medio quopiam caloris gradu, qui tantarum virium non est ut cerebri humiditatem possit dissolvere.

§. 13.

Jam quamvis illi qui cum Aristotele Petito aliisque Poësin ad Melancholicos ablegant, suis prorsus non destituantur rationibus, cum & hi imaginativa valeant & motu incalescant graviori; idque eo magis ipsis concedendum videatur, cum Poësis ad omnes fere disciplinas, quarum nonnullæ rebus severioribus plenæ sunt, sese diffundat; at pace tamen tantorum virorum, mihi nativa videtur Poësis, quæ in sana semper spontaneaue imaginativa consistens, fervet intensiori calore, carminisque opificem ab aliis omnibus distingvit. Præstat autem id,

non modo harmonia Solis Poëtis maxime necessaria, sed & ingeniosa illa sponteque se exserens, cum decore ac delectatione, inventio. Nam licet specierum perceptarum imaginatione Melancholici gaudeant, easdemque ad representandas mero vel aliunde excitari possint, ad rerum tamen non nisi austerarum tristiumque effictiones, prout natura esse plerumque videntur.

§. 14.

Et licet jam nemo mortalium tam stolidæ temeritatis fuerit, ut in hac tanta hominum, quorum longè paucissimi per omnia similes sunt, multitudine, omnes temperamentorum gradus singillatim se enumerare posse confidat, vel singulorum captui æquilibre pondus scientiarum & artium dimeriri sustineat; Nihilominus tamen si in genere evictum foret in cerebri si ecitate, aut si mavis particularem sanguinis aciditate prædominante

judicium , in humiditate memoriam ,
 vim imaginativam in calore melius
 exerceri (nam quod in sanguine ex
 diversitate rerum non naturalium tam
 diversarum particulæ quæ motum majo-
 rem minoremve recipiant ac excitent,
 generentur, satis superque docet sæpius
 laudatus Waldschmidius) sequitur cu-
 usque temperamenti, inclinationis &
 convenientiæ cum artibus ac disciplinis
 quæ hæc facultates postulant, institu-
 endum, at aliqua cum latitudine, ef-
 se examen. Neque tamen exspecto
 quenquam fore tam severum hujusce
 conatus mei sensorem, ut vel verita-
 ti rerum, vel libertati mentis, quid-
 quam hæc derogatum existimet; cui,
 si de temperamento sano recteque
 constituto fuerit sermo, ut neque ob-
 jiciam Barclajum, inclinationes ex
 multis aliis præter temperiem causis
 derivantem : neque Huarti rationem,
 ex temperamento solam irritationem,
 cui utique resisti potest, gigni dicen-
 tis. Reponam certe universam Me-

dicorum Scholam, quæ temperamēta tam natura quam arte, in continuo, licet non momentaneo corporum fluxu, mutari posse fatetur; Ac denique consilia, affvefactiones, exercitia plurimum roboris ad varias inclinationes corrigendas habuisse, omnis ævi historia pandit.

Neque est, quod quisquam mihi vitio vertat, neglectam heic vulgarem methodam esse, terminorum occurrentium origines diversasque acceptiones omissas, præteritas denique locorum, unde hæc desumpta, allegationes; cum hæc, in ea materia, cujus nuda vocabula vel vulgo nota, partim viderentur superflua, partim vero prolixum laborem, tempus & impensas postulareut. A quibus me jam eo æquiori jure excusatum iri spero, quo major mihi angustia temporis fuerit; cum excursionēs hostium vitanda magis, quam conquirendi libri, oculisque usurpandi essent: longe vero adhuc arctior evaserit, cum expirante, quod

quod huic destinatum itineri fuit, intervallo, à jucundissimis hisce Musarum sedibus, ad sacras in vinea Domini obeundas functiones, demandati jam jam præstoletur muneris ratio. Hæc itaque qualiacunque sunt B. L. æqui bonique consule, & si in florente adhuc ætate fueris, vel meliora & accuratiora indaga, vel concessas à Deo ingenii dotes convenienti & assidue stude expolire cura, inter gratiarum actiones precesq; mecum perpetuo ingeminans:

*Gloria sit Patri, Nato sit gloria Sancto,
Gloria Spiritui, Triadi sit gloria
Sacra!*



Till

Högwallärde Herz CANDIDATEN
 JOHANNES WANÆUS,

Då han sitt lärda Arbete på
 Trycket utgaf.

Tur man bör sig rätt betäncka /
 Förr än man kan sinnet läncka /
 Till at winda Wäisdoms = safft /

Uhr then diupa Kundskapz = Källa ;
 Som på *Pindo* fins upswälla /

Dch wårt Bett gee sårdels Krafft.

These korta Blad utwiisa ;

Them man bör thes mehra prissa /

Som the wiisa of then Konst /

Uf Naturens häfwoor tagen /

Dch af många prof uthdragen /

Utt then läres en omtonst.

Therför tu som will tig öfwa

Uthi Wäisdom ; först wähl profwa /

Effter thesa lärda blad /

Swad Naturen dig till råder /

En om tu thet en beskåder /

Kan tu lära knapt en Rad.

Men ndr tu tin öfning wänder /

Till thet som at haa för händer /

Eig Naturen böjjer till /

Så kan tu heelt lycklig wara
 I titt Wärd / och utan fara
 Hamna titt tu sielfwer will.
 En then Högsste haer behagat /
 Och thet med stoor Wijsheet lagat ,
 Ut then ena fallen är /
 Till thet Ena ; men at andra
 Skola med all trohet wandra /
 I thet han them skickat här.
 En will hwar med mig nu åhra
 CANDIDATEN, som den låra
 Här så korttlig fattat har /
 Ut man thet på några stunder
 Heelt behändigst nu utgrunder /
 Som hårtills förborgat war.
 Jag will, önska at then Heder /
 Som Fru Pallas nu tillreder /
 Ehr må lycklig bli och säll /
 Tills at Gud en större Åhra
 Geer åth Ehr bland Englar skåra /
 Efter Eder Lesnadz-Öwall !

I största hast

2f

CARL Hammar.

